

329

327

333

323

338

318

378

278

428

228

Ende

Anfang

314

unum, ut illo die unam Missam pro se celebret in sancto sepulchro, et illi etiam conatum faciunt magnum. Et hoc multoties contingit. Aliqui etiam religiosi a suis praelatis habent commissio-
nem, ut tot Missas in sancto sepulchro celebrent. Et aliqui
in recessu a suis caris et amicis promittunt eis, quod cele-
braturi sint in sepulchro dominico pro eis. Hi omnes festi-
nanter pro loco contendunt. Alia causa est, et forte super-
stitiosa. Dicitur enim, quod de qualibet Missa in sepulchro
dominico dicta, liberetur certe anima de purgatorio. Sic etiam
dicitur de Missis celebratis ad catacombas Romae. Et pree-
cipue liberentur animae, pro quibus intendit celebrans. Et
qui hoc credunt, valde festinant, et cum suo detrimento et
fratrum offensione et scandalo saecularium animabus succurrere
contendunt. Alia caussa est: quidam putant, Missas in sancto
sepulchro dictas, efficaciores esse tam pro se, quam pro aliis
vivis et defunctis, et magis impenetrativas gratiarum. Alia
caussa est cupiditas quorumdam et irreverentia, quo nulli
deferunt, sed antecedere conantur, quia patientiam habere
nesciunt. Alia caussa est, quae est prima et ultima: pere-
grini bene sciunt, quod non nisi tribus noctibus in ecclesia
sancti sepulchri manere permittuntur, nec vacat eis tempus,
nisi pro tribus Missis, et ideo quilibet conatur se primo de
Missa in sacro sepulchro dicenda expedire, et ea non dicta
non quiescit, timens sibi deficere tempus, sicut saepe tempus
multis defecit, et sine Missa in sancto sepulchro recesserunt
cum tristitia. Igitur, sicut dictum est, Missas celebravimus,
et cum jam sol oriretur, iterum sacrista cum tabula cucurrit
per circuitum in totam ecclesiam, et signum fecit ad summum
Officium ad primam et tertiam cantandum in monte Calvariae.
Ascendimus ergo omnes in montem sanctum, et pater Gar-
dianus cum suis ministris sacris induiti ad altare accessit, et
cantor Officium de sancta cruce: Nos autem glari orationem,
inchoavit, et cum altis vocibus prosecuti sumus Officium. Sub
Officio communicaverunt (**121 A**) Domini milites, et omnes
peregrini saeculares cum magna devotione, et protractum est
Officium quasi usque ad horam **VIII**. ante meridiem, et in
puncto, quo finivimus, venerunt Sarraceni ad expellendum nos.